



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KUPANGENSIS ET ALIARUM*** IN
INDONESIA NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA

CONSTITUITUR KUPANGENSIS NOMINE Quo aptius prospiceretur spirituali saluti atque regimini
Christifidelium in Republica Indonesiana degentium, nuper Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque
Venerabiles Fratres Episcopi Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, auditis quorum interest votis, novam
ecclesiasticam provinciam Kupangensem nomine in eadem Natione censuerunt esse constituendam. Nos igitur, Qui
Patris et Pastoris universae Ecclesiae fungentes munere ea omnia libentes confirmamus, quae in populi Christiani
cedunt bonum, accepta eiusdem Congregationis sententia simulque rata habita, Apostolica Nostra potestate usi, hisce
Litteris sub plumbo datis haec statuimus atque iubemus. Novam provinciam ecclesiasticam in Indonesia condimus
Kupangensem nomine, quae coalescet Ecclesiis Kupangensi et Atambuensi, adiunctis quidem insulis Alor et Pantar,
necnon Ecclesia Veetebulaënsi, detracta Sumbawa insula ac dioecesi Denpasarensi adnexa; quarum vero Ecclesiarum
prima erit metropolitana eodem servato Kupangensi nomine cum omnibus iuribus talium Sedium propriis, ceterae autem
Ecclesiae Atambuensis et Veetebulaënsis, hucusque subiectae metropolitanae Endehenae Sedi, erunt suffraganae, ad
normam iuris. Has insuper Litteras Venerabilis Frater Franciscus Canalini, Archiepiscopus titulo Valariensis atque in
Indonesia Apostolicus Pro-Nuntius, curabit exsequendas, vel ab eo delegatus sacerdos in ecclesiastica dignitate
constitutus, necessariis factis facultatibus. Re ad effectum adducta, negotii peracti documenta exarentur sincerisque
exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione rite mittantur. Hanc denique Apostolicam Nostram
Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibusvis rebus non obstantibus. Datum Romae, apud
S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo nono, Pontificatus
Nostri duodecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef</i>

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXII (1990), n. 2, pp. 121-122 © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
